



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Concionum R.P. Ludovici Bourdaloue è Societate Jesu, in
quadragessimam. Tomus ...**

Bourdaloue, Louis

Augustae Vindel. & Dilingae, 1715

In Feriâ IV. secundæ hebdomadæ: De Ambitione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69027](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69027)



XIV
 INFERIA
 QUARTA
 SECUNDÆ HEBDOMADÆ
 CONCIO.

DE AMBITIONE.

Respondens autem JESUS dixit: nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? dicunt ei: possumus. Ait illis: calicem quidem meum biberis; sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis. *Matth. 20.*

REX CHRISTIANISSIME,

NON sine peculiari divini Numinis providentia factum dixerim, ut qui venerat ad animi demissionem hominibus persuadendam, discipulos Christus elegerit, quorum sensus ab ea virtute tantopere abhorrebant; & in
 inf.

infima quamvis conditione ac fortunâ, nondum supernâ virtute purgari, superbiâ, ambitione, vanoque honorum & ipsi studio trahebantur. Id agebat videlicet, ut in emendanda ipsorum ambitione, nostram nobis patefaceret ambitionem, ac dum planè divinas, de re tam gravi præceptiones illis traderet, leges nobis unâ præscriberet ad mores informandos accommodatas, & in beatam illam ac sanctam compelleret animi demissionem, sine qua nec solida pietas, imò nec Religio vera existat. Hæc est Evangelicæ lectionis, quæ fidelibus hodie proponitur, summa. Accedunt ad Christum discipuli duo, obsecrântque sibi, ut per eum primas Regni ipsius sedes occupare liceat. Ut notum illis non erat Regnum illud spiritale, fingebantque sibi temporale quiddam ac terrestre, liquet ambitione eos sola cæcâque dominandi cupiditate adductos suam hanc petitionem adornasse. Atenim scitis, Auditores, quo fuerint pacto gemini fratres accepti; & ex insperato petitionis eventu, facilè intelligamus in quo posita sint ambitionis mala, quæ formæ illius variæ, qui effectus, quæ damna, ad extremum, quæ remedia morbo illi ad movere conveniat. Argumentum eò gravius & utilius, quòd in aula palatinisque domibus, ambitio magis viget ac regnat. Quamquam enim nulla sit hominum condi-

tio, eâ cupiditate planè immunis, neque
 aliis ea finibus claudatur, quàm mundi,
 verè tamen dici potest in basilicis præfes-
 tim, Regùmque domibus ambitiosos repo-
 riri; *Ecce in domibus Regum sunt*; agitare
 ibi illos grandiora, majora moliri, plures
 adhibere machinas, errore suo difficilius
 homines deduci, difficilius sanari. Quæ-
 dam vitia sunt, inquit Chrysostomus, quæ
 facilè comprimantur, quæ sponte concidunt
 sua, quoniam homines mundani nondum
 eò cæcitatibus ac perversitatibus pervenere; ut
 ea non videant, ut ea non damnent. Ve-
 rum enim vero apud aulicos ambitio in vir-
 tutibus ponitur, ne dum in vitiis. Aut si
 in vitiis numeratur, ex iis unum creditur,
 quæ in nobiles & excelsas tantùm mentes
 cadunt; hæc autem vitia plures fiunt quam
 simpliciorum, ac pusillarum mentium vir-
 tutes. Videtis, christiani Auditores, ope
 cælesti quantum indigeam. Ad eam impe-
 trandam, Virginem Deiparam adhibeamus,
 qua nulla unquam, ambitione ab omni re-
 motior fuit. *Ave Maria.*

UT solius Dei est veras aperire proprias
 que rerum notiones, privatis cogitatio-
 nibus nostris hodierno die posthabitis, solis
 Magistri summi præceptionibus inhaerere
 nos oportet; verbis siquidem tribus con-
 cisionis argumentum is suppeditat maximè
 super

simplex, aptum, suis numeris & partibus perfectum & expletum. Quale sit illud, diligenter, quæso, penitusque cognoscite, Fratres hi duo, Zebedæi filii, precantur à Christo, sibi ut per ipsum primas in Regno sedes tenere liceat. Ad hæc nihil apertè respondet Christus Servator. Responsi loco, tria proponit, eorum optatis valde contraria. Primùm significat, non ipsius esse, sed Patris, ad eos honorum gradus, quorum adeò cupidi videntur, illos efferre: *Sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Dein ostendit, dominationem ab illis, nationum infidelium ritu, non esse quærendam, sed quisquis principatûs cupiditate tenetur, statuere eum apud se oportere, sibi serviendum aliis, & excelsiorem dignitatis gradum quem spectat, subjectionis & servitii legem & materiam fore. *Non ita erit inter vos: sed qui voluerit inter vos major fieri, fiat sicut minor; & qui præcessor est, sicut ministrator.* Postremò interrogat illos vicissim ac percontatur, num sint ad calicem suum bibendum parati; hoc est, ad aspera quæque suo fortiter exemplo perpetienda. *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Quæ tria perquam accommodata erant ad tres errores qui mentem occupaverant ipsorum, depellendos. Ponebant

Gg 4 enim,

enim, cogitatione non sursum erectâ, Christum, ut hominem, amplos illos honores quos ambiebant, posse ipsis largiri. Significat autem Christus, ad eos unos, quibus sunt à cælesti Patre destinati, posse honores eosdem deferri. Id agebant Joannes & Jacobus, ut honorificis illis sedibus ornati, se vulgo secernerent, & auctoritatem tenerent in alios; errorem hunc eripit illis Christus, dum monet celsiorem tolli in locum, aliud nihil esse, quàm onus imponi gravius, aliis operam dandi, aliorum utilitatibus serviendi. Denique commentio illo Christi Regno, & imaginario gradu, vitam sibi proponebant tranquillam & commodam, docet autem Christus, quanto stare illis debeat dignitas illa præcellens; bibendum quippe illis amarum calicem; sanguinem profundendum.

Præclara omninò documenta, in quibus Christus ea colligere velle videtur, quæ in morum disciplinâ plurimum valent ad ambitionis nostræ mala corrigenda. Attendite enim, quæso, Auditores, ad ea quæ sequuntur. Honores profani, quos confestimur tam cupidè, spectari trifariam possunt. Quæ Deum, eorum largitorem, respiciunt. Quæ proximum, per quos fit ut ei superiores simus. Quæ nosmetipsos, qui aut jam sumus eos adepti, aut ad eos nitimur. Quæ Deum habent auctorem, sunt

sunt honores, ex æternâ ipsius destinatione, sedes totidem, quas non nisi divino nutu & instinctu capessere nos oportet. Attamen profanos eos reddit ambitio nostra, dum iis inhiamus velut commodis quibusdam merè terrestribus. Hoc erit primæ partis argumentum. Quâ proximum respiciunt, sunt honores profani, vera totidem laboriosæ servitutis onera; & iis abutitur ambitio nostra, dum eos consecutur ad vanum imperium & superbam dominationem exercendam; hoc docebit pars concionis altera. Quâ referuntur ad nosmetipsos honores profani, sunt laborandi totidem & patiendi necessariæ causæ; eosdemque corrumpit ac depravat ambitio nostro, dum illos sequimur, ut vitam in iis otiosam agamus & jucundam; erit hoc concionis omnis clausula. Armemus nos igitur adversus periculosum hunc animi morbum, tergemino Christi Servatoris pronuntiato, ac cum urget & instigat subdolos tentator ad certos quosdam & insigniores nobis honorum gradus parandos, reponamus illicò, non ab eo, sed à DEO nos eò vocandos esse; quoniam hi gradus, quamquam profani, sunt reipsa divinæ sortis & arbitrii: *Sed quibus paratum est à Patre meo.* Cum superbos ambitio spiritus affert, facitque ut amemus in eo nosmetipsi, quòd aliis dominemur, opponamus

Gg 5

illi

illi præclaram hanc Christi sententiam, qui principatum tenet, famulari aliis & servum esse oportere; & qui *præcessor est, sicut ministrator.* Cum nos ambitio prolecat, spemque vitæ commodioris injicit, & jucunditatem, quæ summam sedem & splendida munia comitari solent, os illi occludimus, officia laboriosa, imò etiam crucem commemorando, quæ sunt cum amplis muneribus necessario conjunctæ; atque his nosmetipsi verbis privatim interrogemus, possum hos & illos labores exhaurire? possum hoc & illud perpeti? *Potestis bibere calicem* En tria summatim, christiani Auditores, quæ sunt apud vos à me hodie dicenda.

PARS I.

Ecclesi. 15.

QUANTACUMQUE sit homo libertate donatus, cum est à Deo, quemadmodum loquitur scriptura, *relictus in manu consilii sui*, pronuntiatum est, illudque verum universè, nec non omnibus nixum Religionis christianæ principiis, statum nullum esse, quem fas illi sit amplecti contra DEI nutum. Vitæ conditionem esse nullam, de qua non sit hæc constituta lex prima ac summa, ut eam nisi invitante & vocante Deo, non sequere. Gradum & munus esse nullum, quod periculosum non fiat, cum in illud te infers, non consulto prius Deo; in eo videlicet, auctore Chrysostomo, positum est
jus

ius & potestas suprema, quam sibi DEUS retinuit in naturam rationis & intelligentiæ compotem. Ego verò in eo sitam esse dico fœlicem hanc necessitatem, ex qua rationis & intelligentiæ particeps natura, libertate sua non utitur & accepto jure nisi ad nutum & arbitrium supremi Domini; si quidem nihil est cum hominis salute magis conjunctum, quàm quod divinam vocationem appellamus. Et verò, christiani Auditores, in eo ferè vertitur prædestinatio nostra omnis; in statûs, inquam, & conditionis, quam amplectimur, electione. Causa est in promptu. Quoniam, inquiunt Theologi, nihil aliud est prædestinatio, quàm Deum auctorem habet, quàm certa series auxiliorum, quæ sunt parata nobis à Deo; quàm nostra est, aliud nihil est, quàm actionum series, ex quibus in omnem de nobis statuit & pronuntiat æternitatem. Sunt autem gratiarum auxilia, quæ Deus imperit, ad statum nostrum plerumque accommodata; & noxæ quas admittimus, ex tentationibus & periculis, quibus statûs & conditionis nostræ ratio nos objectat, proficiscuntur. Quot cruciantur apud inferos, qui sanctè victuri fuissent, si, cœlesti monitu, præstitutum sibi statum essent amplexi. Contrà verò quot jam sunt cœlitibus ascripti, qui, si certum arripuissent vitæ genus, ad quod non erant à DEO destinati, vitam acturi

acturi

acturi fuissent omninò flagitiosam & impiam. Ita ratiocinari christianum quemvis oportet, rem altè, & prima ab origine repetentem, hoc est, ab ineffabili divini Numinis providentia. Quanquam autem principium hoc generatim & universè fundat se in ea cuncta, quæ cadere possunt in deliberationem & electionem, fatendum tamen est, convenire propriè in profanos mundi honores, & fortunæ nostræ amplificationem. Planum facio quid velim, ac dico, terrenos ad honores ut ascendatur tutò & citra peccatum, Dei vocatu esse opus magis certo, magis expresso, & ab errore ac fraude magis remoto. Id enim apertè significat Apostolus, cùm solennem hanc legem promulgat, cui, deditâ operâ, semper humana refragata est ambitio, sed quam sacræ litteræ semper illi opponent; fas videlicet esse nemini, inferre se ipsum atque intrudere in dignitatis illius sedem, sed occupandam ab eo uno, cui sit divinitus assignata: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo.* Quæ regula divinis pariter & humanis rationibus nixa est atque firmata. Divinis rationibus, cùm honores sint penes Deum unum, adeoque ejusdem unius sit, dispertire illos cùm lubet, & inter quos lubet. Etenim si jus & amplitudo ipsius postulat, ut res omnes moderetur ac temperet, quæ mundo hoc continen-

Hebr. 5.

rinentur aspectabili, quanto pertinet magis ad idem jus & amplitudinem Dei, moderari arbitrio suo, & ex sapientissimis consiliis suis, quæ sunt in orbe terrarum spectatissima. Humanis rationibus, cum dici possit generatim, nihil esse hominis saluti magis periculosum, quam sedem excelsam. Sed si sedes omnis excelsa, periculosa est, quanto magis illa, ad quam proprio nutu pervenimus, atque optatò. Ut ut est, christiani Auditores, eni regula ad quam dirigenda vitæ nostræ ratio. Emane sequimur? hoc loco vestra mihi valde necessaria est attentio, & ad id probandum quod sum exprobraturus aut doliturus vobiscum, sola mihi satis esset experientia, longusque rerum usus quem habetis. Honores mundani ex divinæ prædestinationis principiis, sunt sedes totidem, quas inire, nisi divino nutu & instinctu, non licet; at nunc, quod spectari non potest sine offensione, habentur illi in rebus maximè profanis; nulla enim Pauli & regulæ præscriptæ ab eo ducta ratione adeuntur nullo Dei vocatu; nunc blandæ persuasionis, nunc dolosæ artis adminiculo paratur ad eos aditus. Quicumque tandem illi sint, debiti creduntur natalium splendori; efflagitantur ut meritum & officiorum præmia; his familiæ, his domui labenti firmamentum quaritur; æstimantur pro utilitatis majoris, aut minoris

noris

noris ratione, pro majore vel minore qua-
 stu atque compendio; sordidum exercetur
 ac turpe eorum commercium, atque hæc
 omnia sine ulla sunt animi remordentis
 conscientia, sine ullo sollicitudinis aculeo,
 præscriptione videlicet pravæque usû, pec-
 candi auctoritatem afferente; quasi verò
 flagitiosa hominum vita jus facere unquam
 valeat contra supremi Numinis jura. Equæ
 mala sint fletu gemituque nostro digna, hæc
 si non sunt? singula persequamur, ac quan-
 tumvis cum pudore, ne pigeat animi nostri
 vulnera detegere, cum præsertim necessi-
 tas gravis, imò extrema, promptam à no-
 bis medicinam illis poscat. Ascenditur ad
 sæculi honores nullo Dei vocatu; nec mi-
 tum istuc accidit, cum eò sit jam progres-
 sus error, ut vulgò ponatur tanquam res
 certa, ad status ejusmodi Dei vocatu nihil
 opus esse. Ut abdat se quis intra claustra
 monastica, statimque humilem amplectat-
 tur & abjectum, expectet necesse est gra-
 tiæ cælestis motum & impulsum; fieri sic
 decet: at cum summi reipublicæ gradus a-
 scendendi, cum sedendum in tribunalibus,
 cum gerendæ publicæ res; cum obeunda
 munera, è quibus civitatis, provinciæ,
 Regni que fors pendet universi; cum re-
 nendæ sedes, quæ angelicam, si fieri possit
 sanctitatem postulent, una satis est homi-
 nis ambitio; satis est cæca ac temeraria do-
 minaa

minatrix animi cupiditas; illius est fortunæ suæ auctorem esse & architectum, adhibeat se modò in consilium, aut præsumptam potius de se opinionem; pronuntiet Christus, sedes illas, eorum esse duntaxat, quibus sunt à Patre cælesti destinata: *sed quibus paratum est à Patre meo.* Mysterium est homini ambizioso incognitum, Patris cælestis destinatio. Frustra Chrysostomus admonet, munera illa cum conscientia esse conjuncta necessario, proindeque pertinere ad cælestis, si fas ita loqui, gratiæ ditionem ac dominium. Dominium illud quod molestum illi est, & consiliis ejus terminos circumscribit ac definit, videtur, illi, commentitium. Frustra Bernardus significat, sedes illas, quò celsiores sunt, & magis à vulgo remotæ, eò magis poscere Dei, qui eas consecret, nutum & impulsum. Diuturna consuetudo res istas æstimandi ex profanæ sapientiæ consiliis, conscientiæ jam callum obduxit. Cùm vel ipsa aguntur Ecclesiastica munia, quæ nunc habetur divini Numinis ratio? in ea immittere pueros impuberes, prius quam Dei vocantis nutus observare possint ac sequi; in ea immittere, priusquam eadem satis nota habeant, & ubi tandem accessit cum ætate notitia, cogere invitos in iis hæere, vel cum salutis periculo, an est hominis cogitantis, *functiones illas ordinis esse spiritualis, earum-*

rúmque dispensationem, ad Deum unum
attinere?

Nihil hoc quidem præter alia dicam.
Nam, si tacita Dei vox, gratiaque celestis
afflatus meritis quodammodo suppletentur
ac virtutibus, quamquam, teste Grego-
rio Magno, semper indecora sit talis ad
sacros honores velificatio, intaminati nihil-
lo tamen minus videri illi possint. At cum
exclusis virtutibus, videmus, idque nimis
crebrò, adhiberi machinas omnes in-
voluntæ calliditatis, factionis, deprecatio-
nis, gratiæ. Cum auctoritas & amicitia
eam in rem interponuntur, molèmq;
operis sustinent maximam; cum advocan-
tur fraudes & fallaciæ; cum accedit impetu-
tunitas, & Zebedæorum matris exemplo,
nulla non persona geritur, supplicis, ne-
gotiatoris, offerentis, clientis: *Adoratus*
& *petens*. Cum ne occultantur quidem arti-
tes illæ, sed mens, sed consilia ipsa appeti-
tuntur, & ponitur in politicæ prudentiæ
laude, perficere quod est susceptum, post-
que occulta facta abjectè ac serviliter, se-
licem ad exitum perductum facinus etiam
venditatur quasi palmare: dicam ne? cum
via fit ad honores per infamiam, & ad fa-
ciliores illorum aditus, hic promissis, illa
muneribus, iste minis corrumpitur: deni-
que cum ad certiorum exitum, vitii & in-
iquitatis præsidia captantur: cum id, inquam
omne

Matth. 20.

omne assiduo usu etiam innocens, etiam legitimum, etiam honestum videtur; quid inde aliud colligas, quàm cunctas honoris ideas, eas dico quæ fuerant nobis inditæ divinitus, deleri in dies, cùm honores illos non jam spectemus ut gradus à divina providentia notatos, sed, ut cupiditatibus nostris res dignas, aut, ut fortunæ donâ ac munera temerariis audaciorum hominum conatibus passim oblata. Pergite, Auditores, attentione me vestra dignari; & facite, ne quid effluat ex illa morum doctrinâ fusâ tam latè. Honores ambiuntur etiam sanctissimi, ceu debiti natalibus; atque hæc ratio satis una videtur ad quodlibet, pro suo etiam jure, aspirandum. Satis est ut ad sacerdotii nitare fastigium, quòd stirpe sis ortus generosâ; satis est, vitam quis à patre habeat locuplete, ad summa ut contendat reipublicæ munera: satis est ille sit illo prognatus, ex vulgari loquendi more, ut gradum omnem filius tenere velle non dubitet, quem tenuit pater. Sit ab omnibus alioqui naturæ donis ac dotibus quantumvis inops, & imparatus, nihil non suscipiet: jus populis reddet: edicet: reget: decernet de hominum fortunis ac vitâ ipsâ; cùmque *sub modio*, quemadmodum Christus loquitur, delirescere eum oporteat, *Matth. 5.*
in candelabro sublimis extabit.

Notat Philo Judæus, cùm esset Moses
 R. P. Bourd. Quadrages. H h ad

ad moriendum vicinus, non ausum esse quemquam è propinquis in locum suum laficere; aut quia non putavit, quod subdit ille scriptor, rem tantam ad suum pertinere iudicium, quia ipse non potuerat, nisi Deo vocante, principatum suscipere. Sic statuit sanctissimus legislator. At enim ambitiosus, aut in hisce rebus magis intelligens, aut minus religiosus, quàm Moses, se cuiuslibet honori successorem destinat; & Zebedæi filios imitatus, ut succedant ex sententiâ quæcumque suadet ambitio, ad ipsâ etiam generis cognatione & propinquitate, commendationem trahit. Quin & in ipsas Ecclesiæ sedes sacratissimas malis labes pervasit, audiasque homines mundanos, cupidos & avaros, qui & hodie dicant quod olim populi Israëliti principes,

Psalm. 81.

& majore etiam audientium offensione, hereditate possideamus sanctuarium Dei. Nostrum est jam tot annos sacerdotium hoc cavendum ne familiâ domoque nostrâ summoveatur. Ego verò respondeo ejusdem prophetæ verbis, Deus meus, pone illos in

Ibid.

rotam, & sicut stipulam ante faciem venti. Sensus est, Superbos eorum spiritus frange: contumide, evert, funditus eos extingue; ac quoniam vel in ipso tuo cultu tam parvam habent tui rationem, nihil à te præter infortunia, detestandique ambitus sui pœnas ferant. Et verò res nulla magis fatalis

talis esse, nulla magis funestos exitus habere solet, quàm hæreditaria illa & perpetua sanctuarii possessio. At de publicà re bene sum meritus, & sedes illa vacua jam, & quam sequor, est officii mei merces non aliena. Sit ita sanè, inquit Bernardus; quid colligas ex officiis illis quæ tantopere venditas? ut extent in rempublicam merita tua maxima, quæ nullâ plerumque ratione conjuncta sunt cum sede illa, quam ambis, nec paria; an es illa propterea dignior? estne locus ille factus ad officia remuneranda, qualia sunt, quæ cupiditati tuæ præterdis? quam habet æquitatem, verbi causâ, ut sacerdotium & quæ sunt cum illo connexa, sit officii profani ac mundani merces? fueritne Simoniacæ genus magis apertum, magisque damnandum? an quia Reipublicæ operam navasti non inutilem, idcirco tradenda ac permittenda tibi est facultas peccandi & te perditum eundi? esto: servieris eâ fide, studioque illo omni quod expectari à te potuit. Fidemne illam remunerari oportet in tua persona (liceat usurpare verbum gravius) prostituta auctoritate? nullane merces rependi alia possit pro officiis illis, quæ tanto sunt apud te in pretio, quàm ut gradum hunc ascendas præter Dei voluntatem? ea tamen est, Auditores christiani, cupiditatis nostræ cæcitas: contra divini Numinis

consilia omnia, honores ad quos vocandi
 ab eo sumus, per indignam profanationem,
 in terrestrem convertimus stabilemque for-
 tunam. Quot parentes, etiam ex iis, qui
 christiani censentur, imò qui se christianos
 obliviscuntur, illud usurpant, quod mater
 illa de qua Matthæus, *dic ut sedeant hi duo
 filii mei.* Fac assistant propter te duo filii
 mei, gerantque, dextrosus ille, sinist-
 rorsus hic, amplissima Regni tui munera.
 Si sunt qui modestia retinente, non tam
 rusticè, tamque apertè rem eloquuntur ip-
 sam, quotusquisque tacita secum voce non
 dicit? contendo enim hoc caput unum ex il-
 lis esse, quæ nondum Evangelica morum
 doctrina, de qua tam magnificè nonnun-
 quam gloriamur, in nobis emendavit. A-
 liæ res cum agentur, erit vitæ nostræ ratio
 omnis directæ, quantum voles, ad acer-
 rimam Evangelii pietatisque normam; nihil
 repugnabitur: imò ponetur istuc in glo-
 ria: sed nemo non vult constitutam do-
 mum suam honorificè: honorificè, inquam,
 ad profanorum hominum scita ac præcepta:
 nemo non vult prospicere liberorum ratio-
 nibus, & prospicere commodè, ex pravis
 mundanorum hominum opinionibus: hoc
 est, aliis Clero, in quo fastum pompam-
 que mundi omnem præferant, addictis;
 aliis in mundanas delicias paganumque lu-
 xum conjectis; aliis populorum spoliis.
 Eccle-

Ecclesiæ patrimonio ditatis; allis in altissimo dignitatis gradu, velut in Templi pinnaculo, constitutis, ubi & mens caligat ipsis haud rarò; aliis magistratum gerentibus, officiorumque mole & pondere oppressis: ac quoniam inde plerumque nascitur morum depravatio, his & illis flagitiosâ & infami vita statum suum dedecorantibus. *Dicitur ut sedeant hi duo filii mei.* Quod malum, terribili quidem, sed justo Dei iudicio, optimatum ac principum omnium velut proprium ac domesticum esse videtur hac nostrâ ætate. Quin & pravum illum morem diceres venisse jam in legem, Deumque ipsum cum omni sapientiâ, cælestisque gratiæ præstantia, obedientem illi necessariò, ac subiectum esse oportere. Satis est adolescentem illum natu minorem esse, ut dubium non sit, ad ferendam animorum curam destinatum ac vocatum à Deo. Mutetur facies rerum, fors adolescentis, ac destinatio continuò mutabitur. Manebit illa, quoad frater manebit natu major; idque ut aiunt, quoniam est è re familiæ, ut alteruter hac viâ ad honores procedat; verius ac simplicius loquamur, quoniam haud paucis parentibus, iisque, si Deo placeat, piis ac religiosis, hoc propositum est unum, magnis ut opibus fundatas & optimè constitutas domos habeant, non ut Christo addictas. Taceo malum aliud huic

conjunctum, Auditores, de quo deplorabat olim Salvianus; nimirum cum natos per omnes vitæ munia dispensant cæci parentes, mundanoque spiritu occupati, è multis familiaribus filiis si quis est contemptior, ei semper honores Ecclesiæ reservantur ac cedunt. Si nullis est naturæ donis ornatus, si distortus, si alterutri parentum invisus, cælibi vitæ, divino cultui, vel ob id, est dicandus. *At verò nunc nulli Deo magis reverentur, quàm quos parentum pietas minus respicit; & qui indigni censentur hereditate, digni judicantur consecratione.* Potuitne pius sacerdos agere vehementius & accommodatius ad mores nostros? & erit jam, christiani Auditores, qui miretur, justum providentiæ, jurisque sui vindicem Deum, subinde nobis infensum atque iratum esse? quibus oculis aspiciat hanc sacrorum conculcationem? an is sit qui est, sapiens videlicet, sanctus ac perfectus Deus, ejusmodi mala si patienter ac sedatè ferat? sed, an erit præsertim qui miretur cuncta christiana reipublica munia usque adeo jam evniluisse; obire illa tot homines iis indignos, tot clericos vitæ infames, tot Judices iniquos, tot Principes Religionis inanes, imò impios passim spectari? si secus eveniat, non res sit veluti miraculo tribuenda? fieri potest ut qui non suafore, non auctore Deo, gradum honoris est adeptus, in officio maneat,

Salvian.

at, sempiternum exitium vitet? ut quæ eum in locum cupiditas & ambitio deduxit, eadem ad sexcentas alias noxas non impellat? nihil est, Domine Deus, in hac morum doctrinâ quam tradimus, quod rationi, quod veritati, quod Evangelio tuo non sit prorsus consentaneum. At, quo eam loco tradimus? mediâ in Aulâ: apud auditores attentos quidem, sed ad fidem habendam mihi non valde præparatos. Homines illi sunt pravus mundi legibus impliciti; & in iis quotusquisque aut percipiat doctrinam hanc, aut perceptam volet *Domine quis credidit auditui nostro*. Verumenimvero si dogmata illa mundanorum hominum palato non sapient, si non afficient, si non movebunt, certè non erunt illis inaudita: non peccatis suis legis tuæ obtendent ignorantiam; nec, silentio suo, verbi tui præcones, frustra reclamante Evangelio tuo, jus velut auctoritatis ambitioni permittent. Quod enim dico, iterare, inculcare christianorum auribus, veritatis constans assertor, nunquam desistam, mundanos honores, non nisi divina tuo nutu & instinctu, capi ab iis oportere; quâ verò ad proximorum utilitatem diriguntur illi, totidem subjectionis onera, totidem aliis serviendi causas, easque necessarias, esse.

PARS II.

SOLUS Deus, Auditores christiani, dicit magnus naturâ suâ potest, ac per se: humana nulla est amplitudo, soluta profus ac libera: nulla, quæ cum aliorum commodis & utilitate, rationes non habeat conjunctas, nihilque magis odiosum & magis injustum est homine illo, quem fortuna, prout crescit, ferocem reddit & arrogantem: cùm illa ipsa, qualis est, molestia, obsequii, charitatis, & humilitatis christianæ causas haud paucas, ne dum tumidos spiritus, afferre debeat. Etverò dominari, dominandi causâ, est, ut ait Ambrosius egregiè, divini Numinis prerogativa quædam. Dominari, serviendi causâ, est id hominis utique proprium; ac quoties fit, ut ea duo divellat is, sibi, queis caret, nonnulla tribuendo, ea ipsa quæ possidet, destruit. Quamobrem hominis dominatio, cùm sit, è Dei consiliis spectata, verum ministerium, ab eo qui sejungit studium & charitatem in proximum, partem illi maximè necessariam tollere, atque adeò profus illud labefactare est dicendus.

An hoc autem doctrinæ moralis caput fuerit olim paganis cognitum, aut novum sit mandatum Christi, non id ago nunc ut explorem. Videmur tamen, ex Evangelicis verbis, eâ nos in re distare ab ethnicis ac differre. Apud ethnicos quippe, inquit Christi.

Christus, agunt optimates pro imperio cum tenuioris fortunæ hominibus, qui sunt apud vos amicè & clementer, imò ad fidei regulas accommodatè, non sine quodam reverentiæ sensu, ab optimatibus tractandi. *Scitis quia principes gentium dominantur eorum.* Ita cælestis ille magister. Verumenimverò rectè in eum locum Hieronymus observat, à Christo, dum ita loquitur, poni, imperiosam hanc regendi rationem, pravè esse inductam in ethnicorum mores, non legitimæ possessionis jure teneri; dùmque nos diverso prorsus fundamento inædificare docet, hoc est, honores, queis vulgo scernimur, ac præcipuè per quos habemus imperium in alios, in charitatis officium ac munus convertere, nullam aliam legem nobis imponere, quàm quæ jam erat à ratione constituta, sed quæ peccati tenebris obscurata cum esset, sanctissimæ ipsius doctrinæ luce, cunctis ut splenderet, indigebat. Nihil est, christiani Auditores, nihil est quod Evangelicum codicem, ad veritatem hanc intuendam, diu multumque volvamus. Nullis erat christiana philosophiæ principiis imbutus princeps philosophorum, percipiebat illam tamen cum diceret, Reges, in fastigio illo, unde nobis ceu Dii totidem aspectabiles apparent, meros homines esse, non sibi, sed cæteris hominibus natos; non ad sua, sed

Matth. 20.

H h 5

ad

ad populorum commoda constitutos Reges. Hoc autem si verò dictum est de regia dignitate, nemo è vobis merito me accuset, quasi de se loquutum non satis moderate, si dixerò, nullam vitæ conditionem, nullum honoris paulò excelsiorem gradum in mundo spectari à quoquam aliter, ac parari fas esse, viâ tamen directâ, & legitimâ ratione, quàm ut se totum impendat eorum in commoda, quos divina ipsi providentiâ obnoxios fecit, ut eorum utilitati totum se addicat, totum devoveat. Magistratum, verbi causâ, hominem esse, destinatum & electum à Deo, ad certorum hominum, quibus suas curas debet, bono, commodisque serviendum: non jam esse sui juris & arbitrii, sed reipublicæ; præfectum herum, auctoritate eò duntaxat instructum, ut familiæ, cui præest, utilitatibus consulat; quod, si desit auctoritas, non fiat, *praes*, inquit Bernardus, officia partésque optimi mandatas dum describit & ostendit, *praes*, *non ut de subditis crescas, sed ut ipsi de te.* Quasi dicat, eum gradum cum teneas, imperare tuum est, aliorum obsequi. At memineras, obsequium illud tibi non sine gravi tuo incommodo, deberi, teque, ni fructum illius omnem in eos ipsos, qui tibi sunt obnoxii, derives, ab officii religione prorsus declinare. Hinc colligo, si sit inter christianos (quot autem reperias) qui, pro

pro gradu, quem, vel fortunæ est adeptus beneficio, vel natalium jure, homines cum habeat sibi obnoxios, sibi que subjectos, se unum tamen in iis respicit, suas unas utilitates, suam unam gloriam, unam sui ipsius ostentationem in iis attendit ac spectat, & est de reliquo ita negligens in eos, ut comoda bonaque solida, quæ sperare ab eo & expectare illos par erat, non valde eum sollicitum habeant, sempiternis, vel ob id unum crimen, supplicii, esse dignum: quid ita? quoniam ordinem illum invertit constitutum à Deo, qui magnos eò tantum ac præpotentes esse voluit, ut parvis consulerent & infirmis. Ita visum est Augustino rem illam æstimanti ex divinæ providentiæ principiis sumptis generatim & universè. Non me præterit, multa his legem Evangelicam addidisse, Christi que Servatoris exemplum, *qui non venit ministrari, sed ministrare*, *Math. 20.* multò majorem hujus officii necessitatem hominibus imposuisse. Et verò non pudendum sit, inquit Chrysostomus, in iis, qui Christi Religionem profitentur, Christumque ipsum, Dominum agnoscunt, eumque supremum, si reperiantur, qui severius imperium exercere ament, quàm Christus ipse? sententia ad christiani hominis pectus afficiendum prorsus accommodata! an non æquum est, cum Verbum æternum, *formam servi acceperit*, *Philip. 2.*

nobilitaverit, divinam effecerit in sua persona, esse eam inter nos aliquo in honore? &, an non istuc provisum est sapienter a Deo, addit Chrysostomus, cum dominationem ipsam eidem subjecit; atque ut voluntariam filii sui abjectionem veneremur, jubet nos, quemcumque tandem dignitatis gradum teneamus, in eo versari, in eo nos gerere, quomodo servos ac ministros convenit; ut illa Pauli sententia accommodari in nos possit: *Omnes sunt quasi administratorii spiritus.* Verè quidem hæc cuncta, christiani Auditores; attamen id me non leviter angit, quòd, cum fides Christi, tam cellsa nobis, tamque perfecta proponat, vix re ipsa, factisque ipsis, simplicem rationis ductum sequamur. Si dicerem, servitutum illam eò usque & officium progredi, ex Evangelicæ legis præscriptione, ut proximum & ejus salutem præstare DEO vos oporteat, hoc est, hominem quemvis auctoritate aliquâ instructum, pro ejusdem auctoritatis ratione & modo, sponsores ac vadem esse proximi, ejus flagitia sceleraque omnia præstanda illi esse; ejusdem animæ rationem esse ab illo reposcendam, idque proposito semper Christi exemplo, qui supremo dominio suo non est usus, nisi ut in salutem multorum operam omnem impenderet, *non ministrari, sed ministrare, & animam suam dare in redemptionem pro multis;* hæc,

Hebr. 1.

hæc, inquam, si vobis significarem; terrorem utique vobis incuteret hæc oratio mea. Ut ut sentiendum est de eo officio, quod unum concionem integram poscat, en, mundani principes, inquit Bernardus, en exemplum in quod inspicere vos oportet; en vitæ ratio, quam vobis lex vestra præscribit. *Forma Evangelicâ hæc est, dominatio vobis interdicitur, indicitur ministratio.* Ut christiani, quantò superiores estis, tantò magis charitas, tantò magis benignitas eminere debet vestra. *Dominatio vobis interdicitur, indicitur ministratio.* En Evangelicæ hujus doctrinæ summa, quam statûs vestri vitia emendare oportet.

Hinc Augustinus sacrationis infulæ splendore non se præstringi sinens, ex illo ipso sacerdotii apice causas non unas sumebat erubescendi, deprimendi, & erudiendi se privatim. Ut mihi Christianus, ait S. Doctor, gregem sibi commissum alloquens, ita vobis, volente Deo, sum factus antistes; ac, si libeat de sacerdotii amplitudine gloriari, satis hoc fuerit ad divini Numinis vindictam in meum caput accersendam: *Quod christiani sumus, propter nos est, quod præpositi, propter vos.* Ex quo est id effectum à Deo, concludit egregiè Augustinus, ut humanarum conditionum temperaretur inæqualitas; tenuioribus de suâ tenuitate conquerendi licentia, principibus de sua excellentia

sitate

litate gloriandi jus omne præcederet.
 Sum aliquis, at idipsum quod sum aliquis,
 postulat, nullus ut mihi, totus ut eorum,
 apud quos sum aliquis, fiam. Si multa illi
 mihi debent, debeo vicissim & illis officia
 non modica. Uno mihi modo si sunt ob-
 noxii, alio ipse ego sum illis obnoxius; nec
 me illi satis æquo utantur, si pauciora,
 quàm mihi debeant, iisdem persolvero.
 Auditis istuc, christiani Auditores, & in
 tanta sæculi corruptela, possum sperare, vo-
 bis ut proberur tam salubris, tam sancta
 præceptio? id nunc agitur ad eamne nor-
 mam vitam dirigatis? num opinio in eo ve-
 stra consentiat cum Christi Servatoris præ-
 ceptis & exemplis. Hoc enim ipso distin-
 guendos ac dignoscendos ab ethnicis, ille
 idem pronuntiat hominum Servator; & ad
 vos ipsos attinet ejus sermo, cum verat
 Apostolos vanum in alios & superbum do-
 minatum affectare, *non ita erit inter vos.*
 Videamus ergo, num in iis qui ad profanos
 honores nituntur, non sint ethnicorum si-
 miles; qui conditione suâ abutantur, &
 superbiâ cum auctoritate conjunctâ, hanc
 non minus imperiosam, quàm intolerabi-
 lem reddunt. Videamus, an, in ipso Ec-
 clesiæ sinu, post Dei præpotentis, qui se ul-
 tro demisit, & *exinanivit*, exemplum, non
 reperiantur heri feroces, asperi, duri, qui
 id unum agant, sibi ut dicto alii sint audien-
 tes,

Phil. 2.

res, ut serviant, ut metuant; indolere, sublevare, indulgere, charitate devincire sibi quemquam nesciant. Qui vi, imò sæpe imperii acerbitate omni adhibitâ, non unctiorem, non suavitatem charitatis ullam, quam præcipit Apostolus Paulus, unquam intermisceant. Non deerunt colores, queis obtegat se dira dominandi libido; sed enim vincat necesse est divinus sermo, victæque pudorem imponat. Adeste animis.

Quoniam sedes ampla contigit, nunc fungendi muneris, juris nunc tuendi, nunc tenendi ordinis vanus obtenditur ardor, ac studium, quin & ferocitas ipsa, fastusque sæpe in officiis ponitur: adedò ingeniosè pravus sui ipsius amor, castissimarum virtutum specie occultare scit vitia quæque aperitissima. Verumenimverò, respondet Bernardus, si fungendi muneris ardor, isque verus vos agit, cur accendi tantùm solet, cum fragendi videntur superbi aliorum spiritus, & auctoritatis acies distringenda? cur hebescit in cunctis aliis rebus ac cessat? cur torpet, & extinguitur cum primùm est ambitio expleta? Etenim quantumvis ingeniosi sumus ad fucum nobis faciendum, en, christiani Auditores, en, in quo, (fateamur istuc necesse est) meritò erubescamus. Agitur functio difficilis, laboriosa, obscura, quam sola exerceat charitas in
pro-

proximum, illud fungendi muneris & tuenda dignitatis studium ac zelus parum nos sollicitat. At sit prerogativa cujusdam contentio, sit obsequium exigendum, sit imponenda lex, tunc enim verò reviviscit zelus ille noster, ac reviviscit universus. Sopitus erat, & sit etiam num, si quidvis aliud agatur; illum una suscitatur & acuit honoris prerogativa. An est autem res ejusmodi digna, quae christianum hominem tantisper stimulet ac pungat? praeterea, an est, pergit Bernardus, munere suo fungi, illius jugum efficere acerbum, grave, ac pene intolerabile iis, quos gestare illud necesse est? est hoc munere suo fungi, animos exacerbare & irritare, quum conciliare eos debeas atque submittere; alios inconstitiam, alios desperatione afficere; insultare his, absterre illos & angoribus conficere; querelis assiduis locum dare; subordinati regiminis rationem & formam omnem subvertere, dum eam constitutam vis ac rigidam plus aequo. Eò enim evadat necesse est zelus ille, quo se tegit & exornat ambitio; ut nihil efficiat, dum plus, quam par est, efficit; evertat dum aedificare eum oportet; animus adjicitur obnixè ad certa quaedam jura quae defendere certum est; ac quoniam in consilium non advocatur christiana demissio, quae jure, quaque injuria, jura illa, seu certa seu falsa, defenduntur.

Que

Quocumque charitatis ac proximi detrimento tueri illa, quantum patent, oportet, restrictè persequi; nullà in re ab iis decedere, nihil detrahere, conditionem nullam, nullam compositionem admittere; quid ita? quoniam illa tenet imperandi ac dominandi libido, quæ per summè deplorandam cæcitatem, è merà auctoritatis æmulatione, sæpe etiam virtus, sæpe æquitas fit. Auctoritatis æmulatio, funestus attentionum fons & origo, ad quæ quotidie facinorum extrema mortales inconsultos agis? quot flagitiis locum dedisti? quot similtates & ultiones probasti? quæ mala non importasti? quot operibus bonis obstitisti? si christiana humilitas, qualem Christus eam proponit in Evangelio, temperamentum huic cupiditati & medicinam afferret, cederet utique in Dei præpotentis gloriam; & jura illa, quorum sumus tantopere studiosi, multò firmiter essent constituta. Sed quoniam nihil modicè fit & temperatè, atque ut suscepta succedant, ambitionis ingenium ferox, & juginescium, sequimur ducem, ob jus aliquod sæpe futile, sæpe anceps, sæpe commentitium, pacem turbare, conjunctionis ac concordia vincula dirimi, opprimi innocentiam, patientiam exhauriri, animos irâ incendi, omnia denique ob inane simulacrum misceri necesse est atque confundi.

R. P. Bourd. Quadrages.

I i

Quo

Quod magis mirum est, omnium vulgò maximè imperiosi sunt, quos minus deceat imperiosa illa ratio. Homines novi, ignobiles, terræ filii, sed occultis artibus, ac veluti machinis quibusdam, summa adepti, illi ipsi sunt, qui cum in verbis, tum in factis, se, suamque auctoritatem magis ostentant, atque ut magnitudinis umbram & imaginem quandam augeant in sese, verè magnos etiam deprimere, dominium in eos exercere, præclarum & gloriosum ducunt. Neque hoc satis est: videas qui pietatem ac præcipuum DEI cultum profitentur, atque aded, quos, vel ob id unum, magis deceat exuere, certè humanam omnem dominationem despiciere, rerum, quas sibi proposuere, cupidores nonnunquam, tenaciores opinionum suarum, severiores denique obsequii exactores. Obsistat illis quispiam ac repugnet paulò liberius altercando, quæ non recidant in caput ejus procellæ? quæ non inde natæ sunt populorum offensiones & scandala? Ea est, christiani Auditores, hominum ratio ac vita; & quod satis deplorare non possumus, hominum, qui pii ac religiosi cum primis habentur. Non aulici solùm ac palatini homines ita inflari solent, potestatisque suæ aculeos emittere amant in alios atque defigere. Nihil vulgare magis, ô sæculi nostri, imò sæculorum omnium probrum! nihil, inquam,

quam, vulgare magis in Ecclesiâ ipsâ, quam-
 quam Christi humilitate fundatâ. Contra
 quam monet Petrus Apostolus, ne *domi-*
nandi in clero tangi nos desiderio sinamus, *1. Petr. 5.*
neque ut dominantes in clericis; sanctissimas
 plerique dignitates obsequiis & observan-
 tiâ metiuntur, non labore qui sit illis ne-
 cessariò conjunctus. Patres se ac Pastores
 obliti, dominos se tantùm meminêre. In
 quandam servitutis formam animæ addi-
 cuntur. Vult Apostolus servos à christia-
 nis tractari fraternè; fratres ipsi serviliter
 tractantur. Est voluptati hos arctè con-
 tentèque habere; illorum spiritus fregisse,
 in successibus, in factis egregiè numera-
 tur. Cedi ab cunctis volumus, fascésque
 submitti, ut primum est ex ore nostro vox
 missa, & sæpe jugum ipsi detrectamus, ju-
 stæque dominationis, unde pendemus, im-
 perium. Parem fortunam ac sedem adepti,
 quàm non parcè ac molliter utamur acceptâ
 potestate; eidem simus obnoxii, imperium
 abnuimus. An auctor est his Deus? an id
 præcipit Evangelica lex? an eâ viâ sunt ad
 Christum cæci mortales ab Apostolis tradu-
 cti? hæreamus ah! christiani Auditores,
 quidquid id sit quod agatur, hæreamus
 semper in præclarâ illâ Servatoris sententia,
 quicumque voluerit inter vos major fieri,
sit vester minister. Quantò aliis superiores *Matth. 20.*
 estis honoris gradu, tantò magis ad eos vos

demittere, tantò majorem illis humanitatem, comitatem, modestiam, charitatem prestare vos oportet. In hac morum doctrina si paulùm insistimus, christiani Auditores, idque eâ libertate, quam dat Evangelicum munus quo fungor, non debetis istuc culpate. Cùm ad populos conciones habeo, postulat officii mei ratio illos ut admoneam reverentiæ & obsequii quod vobis, quod vestræ debent dignitati: at quoniam verba facio apud vos, hac in Aula; quoniam dynastas alloquor, meum est, docere illos, quid populis vicissim ab illis debeatur. Dixi mundanos honores, totidem sedes esse, quas non nisi divino nutu & instinctu capessere nos oportet; vera totidem esse subjectionis & servitutis onera; totidem esse laborandi & patiendi necessarias causas, superest ut ostendam.

PARS III. **N**UNQUAM istuc confiteantur profani mundi amatores, sed, ut ut illi ea desentiant, ex aternitate verum fuit, amplos & stabiles honorum gradus quantumvis blandæ cupiditati nostræ lenocinari posse videantur, veras, si rectè eos æstimare volumus, laborandi & patiendi causas esse. Et verò cùm par illud fratrum primas à Christo Regni sedes poposcissent, beatitatis ac felicitatis anticipatæ, quam conjecturâ informabant, studio illecti, facile illis Christus
gra.

gratum errorem detraxit, cum eodem est ita alloquutus, *potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Potestis cruciatuum, qui me manent, consortes & participes esse; alterum cum altero ita conjunctum significans, locumque illum potiorum, quem comminiscabantur, laborum, acerbatarum, & ærumnarum, si eum essent adepti, copiosorem mensuram illis fore. *Calicem quidem meum bibetis.* Quæ cum ita sint, inquit Augustinus, quæri & spectari à nobis debent aut possunt honores qui sint dispari conditione? hoc est, sinceri ac puri: qui ærumnis & molestiis permisti, imò etiam pleni non sint atque referti. Si sunt ejus generis honores, in cælestem reservantur mansionem: terreni honores, sunt diversi generis, nec nobis propositi à Deo, nisi ut calices totidem acerbis atque amari. Alios nobis cogitatione si fingimus, eos profectò ignoramus; iis aliter quisquis utitur, iis abutitur. Ut apertè & planè explicem quid velim, non commemorabo casus illos inopinos, acerbos & luctuosos eventus, quorum testes ac spectatores sumus tam crebrò; tacebo subitas rerum conversiones, modestas illas vicissitudines, quas sæculi labentis ruinas & infortunia vocitamus, at quibus iidem illi, qui nobis tam jucundi primùm acciderant honores, dum repente elabuntur ac fluunt, acri sui desiderio reli-

cto, gravissimè nos vexant ac torquent. Nihil est quod fortunæ malignitatem accusamus, quæ datis muneribus, operique ipsa suo velut invidens, odium ex illis brevi in nos concitat; adeò ut beneficia illa in molestias, in angores, in fastidia & infinitas ægritudines postmodum convertantur. Sunt hæc vobis notiora quàm mihi, christiani Auditores, ac si testes in id quærendi, non alios velim quàm vos ipsos. Commoremur ergo tantisper hoc in loco, qui concionis nostræ gravissimus videtur. Ponamus christianum hominem ita beatum ac florentem, ut res semper habeat prosperas, suamque ad voluntatem æquabiliter & constanter fluentes; ac videamus, num, quia loco sedet excelso, sit unde vitam sibi ipse jucundiorè & commodiorè promittat. Contendo ego, vel ob id unum, nihil esse in hac mortali vitâ tam amarum, quod expectandum illi non sit; nihil tam durum & asperum, ad quod ferendum paratus esse non debeat. Quid ita? rationes eam in rem dum exponimus attendite. Quoniam videlicet in illa fortunæ altitudine & vim sibi afferat assiduè, & multa ab aliis sæpe perpetiatur necesse est. Quoniam in anxias illas & mordaces curas immittit, quas exonerare & abjicere non licet; quoniam ab illo postulat eo sit animo, ut se millies nunc veritati, nunc justitiæ, nunc innocentia,

ceu

ceu victimam quandam, immolet macteturque. Ita autem depugnare cum animo suo, ita agere, ita mactare se, est aliquam gustare quietis & otii partem? & est in his quidquam quod humanis sensibus blandiri sit dicendum? eò revertamur unde sumus digressi.

Depugnare secum vimque sibi afferre necesse est, qui sit in aliqua dignitatis atque honoris sede locatus. Hæ primæ illius partes. Et verò quæ possit is omnes officii numeros obire, si pravis suis velit desideriis obsequi, & sit Evangelicæ mortificationis ignarus atque insolens? qua ratione homo christianus, si ratum illi est ac fixum, indulgere sibi in omnibus, nullâ unquam in re edomare se ac frangere, in fungendo munere satisfaciat Deo? molestæ functionis rædia devoret; temporibus ibi adsit incommodis, ubi adesse eum oportet; consistat & hæreat in locis inamœnis, unde decedere per officii religionem non licet? si mollis est & voluptarius homo, qui par erit ferendis laboribus innumeris, quos secum quodvis trahit munus, præsertim grave. Necesse est igitur ut animum suum contrahere discat, & in angustum concludere; quod ut perficiat, ut ritè munus expleat suum, voluptates ac delicias omnes abdicare, fraudare se nonnulla somni parte, valerudini etiam non parcere oportet; ut Pauli

Act. 20.

Apostoli exemplo, *animam suam pretiosam quam se non faciens* hoc est, vitam arte officium salutemque æternam non ponens, in ipsâ mundanorum honorum possessione det operam abnegationi, quæ in crucis gestatione, in assiduâ mentis ac corporis vexatione tota consistit.

Multa, idque frequenter, ab iis perpetuum oportet, qui mundanis honoribus est ornatus; en fatum illius alterum. Etenim quò es excelsior, eò major te circumstat hominum numerus, queis insunt mendosi sui mores, suum ingenium, sua morositas, sua studia privata, suæ cupiditates, sua vitia; eò magis invidiæ, censuræ, & obtreptionis telis es propositus. Quanto Mosis sterit summum in Hebræos imperium? qua patientiâ opus illi fuit, ut curriculum emetiretur quod erat ingressus, & tam onerosum munus planè perficeret? an esset eo dignè perfunctus, ni constantiâ incredibili, eaque æquabilitate, quam pervicax populus novis in dies contumeliis & obtreptionibus tentabat, ipso jam usu obduruisset, & percalluisset admirabilis ejus patientia? Etverò, christiane Auditor, potesne, quisquis est tandem vitæ tuæ color, & sortis conditio, posesne christiani hominis officiis satisfacere, si nescias vincere te ipse, tacere in loco, odia comprimere,

coer-

coercere cæcos animi impetus, circumfusas undique molestias devorare? Nam ut sis major & excelsior, ut honoris fastigium teneas, non deerunt qui fortunæ tuæ invidiant, atque adedò qui facta & dicta tua redarguant, qui tibi adversentur, qui te offendant. Si stomachum erumpis, è stomacho ipso molestiam trahes. Sidebellas ac vincis te ipse, ferendus erit aliorum stomachus. Ut ut est, nunquam facies, ut quod te attollit, idem simul non oneret ac premat, & unde tua proficiscitur amplitudo, inde vexationum & ærumnarum seges ampla non pullulet.

Agere vitam curis tristibus & anxiiis plenam, quas, si velis, exonerare nequeas atque abjicere, acerba est & tertia eorum fors, qui honorificas sedes occupant. Ut Principes ac Reges omittam, qui non sunt ipsi lege hac immunes, dicite, quæso, Auditores, ubi nunc dynastes, herus, Judex, Antistes, magistratus, qui, ut partes suas obeat piè & sanctè, non possit ac debeat aptare sibi Davidicum illud, *tribulatio & angustia invenerunt me.* Ingens animo meo curarum & negotiorum incidit moles: ea non quærebam imò studebam amandare procul. Sed summè laudanda Numinis providentia, quæ cuncta moderatur ac regit appositè ad salutem meam, aditus illis

Psal. 118.

ad me patefecit : hinc variis curarum fluctibus obruor. *Tribulatio & Angustia invenerunt me.* Quæ cogitatio inquit Bernardus. valde accommodata est ad superbos illos spiritus frangendos, ad vana illa gaudia remperanda, quæ statim afferre solent jura quædam præcipua, certique honoris gradus, cum non valde afficiat honos, qui plus sibi molestiæ quàm splendoris habet adjunctum. *Non est quod blandiatur celsitudo ubi sollicitudo major.*

Denique animo esse te oportet parato semper ad te ipsum, nunc æguitatis, nunc veritatis causâ, velut mactandum. Cur enim fecit Deus, ut gratiâ floreas, cur te aliis præfecit, nisi ut tu illi, sicubi res ejus postulet, cadas hostia major? sententiam illam Pauli trahitis nonnunquam in voluntatem & studium vestrum, qui dignitatem omnium sanctissimam habet in votis, rem optare laudabilem & honestam; *Qui*

1. Timo. 3

Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Atenim responsonem omnem vobis Hieronymus eripit, cum dicit, sanctissimam illam dignitatem, quo tempore Paulus scribebat, ad martyrium fuisse & ad necem gradum proximum. Addo ego, quod nunquam fortasse percepistis, & percipere ramen vos semel oportet; præfecturam nullam in terris, nullam dignitatem, quæ non

non id exigat necessariò, ut te, cùm res id poscit, pro æquo & bono, pro innocentia, pro Religione, pro Dei gloria tuenda devoveas; tunc posthabendas tibi utilitates tuas omnes; si secus feceris, quamquam Christi fidem profitearis extrinsecus, in mundanorum, imò in reproborum te numero reip̄sa censendum.

Difficile istuc; esto. At, non æquum est, ait Ambrosius, ut à Deo multa cùm acceperis, multa remetiare? nonne ita res sunt ab eo sapienter ordinatæ ac constitutæ, ut honorem muneribus & officiis, quo minueret laborem, addiderit, iisdemque laborem voluerit adjunctum, quo superbiam tabemque omnem à nobis amoveret. Ita quippe sensere de iis generosi Christi imitatores & asseclæ, qui in summis honoribus ad quos fuerant evecti à Deo, sibi semper visi sunt velut hostiæ totidem vivæ ad omnia fortiter exorbenda, ferenda, adeunda, ad divina de se consilia adjuvanda in se atque explenda. Super his autem quid habetis quod opponatis, homines mundani? qua ratione possitis excusare vitam hanc mollem & otiosam in iis sedibus, quæ assiduum postulant vigilantiam, & attentionem vestram omnem? adeste huc, vani amatores, placidique possessores honoris, cujus splendore vanitas quidem vestra pascitur, sed

sed

sed ad cuius labores atque onera, vestri-
 forum amor attonitus hæret; adeste, & mo-
 res vestros in tabulâ, quam oculis vestris
 spectandam propono, contemplamini: adeste,
 & agnoscite, vita vestra quàm prodigiosè
 distet ab officiis vestris: discite quales
 vos esse oporteat, & quòd tales non
 sitis, si potestis, erubescite. Scio, vanas
 excusationes & causas vobis non desore,
 queis vobis ipsi persuadeatis, in obeundâ
 muneris vestri functione, non minus aliis
 satisfacere vos, quàm vobismetipsi placetis.
 Nam, ut rem propius intueamur, & ad
 rectam rationem exigamus; totum in eo esse,
 genio ut indulgeas; ut voluptati, suscepto
 muneri nunquam vaces; laborem
 subterfugere, quem reipublicæ debeas, &
 à te illa expectet; assiduitatem horrere quod-
 tidianam ac necessariam, quam servitutis
 genus quoddam appellare soles; certas re-
 rum curas, quæ ad te pertinent propriè, &
 præstare tuum est, in alios rejicere, non
 posse ibi consistere, ubi consistere te oporteat,
 & iis adesse in locis omnibus, unde
 te procul deceat abesse; præremittere ne-
 gotium id omne, quod incommodum est,
 quod molestum, tametsi humeris onus illud
 tuis ideò Deus imposuerit, ut molestia, ut
 incommodo esset; prudentiam humanam
 adhibere duntaxat in consilium; aleam nul-
 lam,

lam, casum nullum ex iis adire velle, in quibus periturus tibi videris, & adire te tamen divina lex jubet vel periturum mundanorum hominum judicio; uno verbo cuncta ut complectar, decerpere ex conditione suâ quæcumque jucunda sunt & dulcia, molesta omnia & laboriosa relinquere, quam legem ex mundanorum hominum haustam schola, servas tam diligenter: neque hoc satis est: animo ferre sedatiore ac pati quæ te piè sollicitum habere debeant, & ardorem tuum omnem excitare; errores dico corrigendos, multa per vim facta & injustè, comprimenda & refarcienda, scandala tollenda: contrà verò efferrî iracundiâ levibus de causis, non sine verborum contumeliâ, & eo loco in quo te semper esse oportet animo æquo, imperare & moderari tibi ipsi, coercere & reprimere te ipsum, adeò ut naturam molliorem & doloris impatientem nec audias nec ostendas: quid dico? abuti potestate, ut privatis simultatibus & odiis indulgeas; ut alios ultioni tuæ macetes, quasi tuo jure; ut te civitas tremat universa; ut toti provinciæ molestiam exhibeas non unam, expers ipse molestiæ: hæc & alia quæ prætereo, (finem enim oratio non inveniat, si moralem hanc doctrinam, quàm latè patet, persequi, & alia mille, nec minus gravia capita tangere libeat) hæc, inquam,

quam,

quam, omnia, an tibi conveniunt, an decent? an id postulat ordinis tui ratio? eone pertinet illa conditionum varietas, qua mundum divina providentia consulo distinguens, alios spectantium oculis proposuit ceu vasa quaedam calata pretiose, aternis alios tenebris damnatos reliquit & abjectos? cum te populo secrevit, cum humo excitavit, cum in altum evexit Deus, an id spectavit, vitam ut exigeres otiosam & quietam? ut commodis tuis prospiceret omnibus? ut te tibi ipse, ut desideris omnibus, ut cunctis vindictæ appetitionibus te permitteres? tibi ne soli mundum hunc condidit? non te potius selegit è multis ad illius curam & administrationem? ut autem rectè clavum teneas, & tradita tibi gubernacula tractes sapienter, non est ullâ in mediatone versandum? non sunt ullæ rationes subducendæ? nulla est adhibenda cautio? non adeunda pericula ulla? non ulli obices vincendi? non cognoscenda, non tractanda molliter diversa hominum ingenia? quod olim dictum à Bernardo est per summam animi demissionem, se monstri; ex contrariis & inter se pugnantibus naturis, conflati, genus esse quoddam, non potest à te, christiane Auditor, verè ac meritò dici? *Chimera seculi*. Sum omnia, & nihil; aut potius, ad omnia cupio reipublicæ munera

nera provehi, nullum obire: magistratum
gero, at magistratus habeo nihil, præter
auctoritatem & togam. Est hoc magistra-
tus gerere personam, non esse. Publicis
redimendis præsum, & redemptoris nihil
habeo, præter factum, & opulentiam &
sanguine, miserisque civium partam. Est
hoc redemptorem agere, non esse. Sum
ascitus in clericorum ordinem, & clerici
nihil habeo præter sacrum characterem &
habitum. Est hoc clericum esse, & non
esse: *Chimera sæculi*. O præclarum illud
spectaculum, pergit Bernardus, de qui-
busdam Christi ministris sermonem habens,
cùm cernuntur illi in sacerdotum ascripti
numerum, quam ob rem? ut annuos sa-
cerdotii capiant fructus, ut mitrâ caput re-
dimiti, & purpureâ se ostendent in veste:
ut rem dininam nunquam faciant: ut statis
Ecclesiæ cantibus nunquam intersint: ut
populorum institutioni nunquam vacent:
ut commisso sibi gregi virtutum exemplis
nunquam præluceant. Quos tandem eos
esse dixerimus? satis planè id significari ne-
quit, cùm non mundo illi, non clero, non
militiæ dici propriè possint homines addicti:
Chimera sæculi. Aperiamus hodiernâ die,
christiani Auditores aperiamus oculos men-
tis, atque ut doceas, Domine Deus, peri-
turis honoribus bene uti, doce nos rationi
esse

esse obsequentes: ad eorum enim officia cognoscenda satis est ratio. Euelle, Domine, ex animis nostris, falsas illas opiniones, quas de rebus humanis imbibimus. Errores illos, in quos mundana nos pravitas impulit, Evangelicâ tuâ luce disjice. Oculos nostros mortali fulgore præstringe sine, & ob transituros honores, immortalem, ad quam vocas, gloriam nobis eripi. Amen.

